

Illustris Domine, amice charissime. Ad literas tuas septimo Augusti datas, non respondi, quoniam expectabam, si aliquid certius scriberes de loco beneficii vacantis, et de nomine defuncti canonici. Hic enim neque patres Societatis, neque ego certi aliquid habere potui, unde supplicare Summo Pontifici possem. Super-
venerunt nunc aliae literae datae vicesimo tertio eiusdem mensis, sed nemo ad me venit, qui nomine tuo me adiret, et informaret, unde certi aliquid summo Pontifici dicere, et libellum ^hpplicem offerre possem. Mihi enim non vacat, inquirere homines, et sollici-
tare sollicitatores. Sed si tu scripseris ad Dominum Burgium, vel ad alium, ut ad me tempestius veniat, et vere informet de vacante beneficio, ego Pontifici de te tale testimonium perhibebo, ut nihil dubitem, quin tibi beneficium sit conferendum. Hoc autem de quo agis, si vacavit sub finem mensis iulii, vel iam alteri collatum e-
rit, vel nulli a Pontifice conferri poterit; nisi enim intra tres menses beneficium datum sit, et expeditae bullae, atque istuc mis-
sae fuerint, secundum concordati Sedis Apostolicae cum natione ger-
manica, continuo istuc à capitulo datur alteri. Itaque iam praete-
riit tempus, quo bullae expediri, et istuc mitti possint, pro bene-
ficio, quod vacavit in iulio. Haec habui quae responderem duabus
tuis epistolis, et certe moleste fero, quod expectationi tuae hac
vice respondere nequiverim. Sed iam admonui, quae ratio ineunda sit,
ut voti compos fias. Vale, et me, ut facis, amare perge. Romae die
24 Septembris 1611.

München Reichsarchiv. M. Jesuitica in genere. Faxc. 19 M. 324. Minute
rép. autogr. à la suite de la lettre de J. de Beck (23 août)